

D. O. M. A.
DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
CUMULATIONE PETI-
TORII ET POS-
SESSORII.

43
16377
177

Quam
DECRETO ET AUTORITATE,
MAGNIFICI FACTORUM
ORDINIS, IN HAC ALMA ARGENTO-
TORATENSIVM ACADEMIA.

PRO LICENTIA CONSEQUENDI
DOCTORATUS IN UTROQUE JURE
HONORES ET PRIVILEGIA, &c.


Publico & solemnni examini subicit.

JOHANNES REBHAN,
ROMHELDA-FRANCUS.

Ad diem

ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXVII.





Σὺν Θεῷ

DE

CUMULATIONE PETITORII ET POSSESSORII, &c.

PRAEFATIVNCVLA.



Quod Epitomator ille Trogi Pompeii, Justinus 1. *Histor. Philip. 1. n. 1.* dicit: *Principio rerum, Gentium, Nationumque, populum nullis legibus circumscriptum fuisse, arbitriis Principum, pro legibus usum;* Illud in Hypothesi comprobatur & de Populo Rom. specialiter inducit Iustus Pomponius. *in l. 2. §. 1. ff. de O. I. ibi: Initio civitatis nostrae, populus sine lege certâ, sine jure certo primum agere instituit, (more scil. Gentium) omniaque manu à Regibus (ita Florentina Lectio, Ravardus rectius legi putat, manu Regis, scil. Romuli. De Auctor. Prudent. 1.) gubernabantur, in tantâ ævi simplicis innocentia, cujus Justitia ingeniis cultâ, non legibus erat. Justin. 2. Hist. Philipp. 2.*

2. Verum, auctâ ad aliquem modum, civitate, seu, ut verum *ἀλλοιον* notem, divitiarum Populi Rom. cupidine & malitiâ, quia Princeps suâ scientiâ cuncta complecti non poterat, neque expedire, ut ambitione alienâ traheretur, leges fieri coeperunt, sive in facta constitutæ fuerunt, ut

A 2

elegant-

eleganter dicit Tacit. 3. Annal. 69. quasdam etiam à Græcis civitatibus, forsan ad declinandam invidiam, si etiam extraneis uterentur legibus, petierunt, suæque Reipubl. accommodarunt. *d. l. 2. §. 4. ff. de O. I.* ex quibus eodem ferè tempore actiones etiam compositæ sunt, quibus inter se homines disceptarent. *d. l. 2. §. 6. ff. de O. I.*

3. Ne autem Populus Rom. eas, pro ut vellet, institueret, & confusè, more Gentium, exerceret, quâ re complures difficultates & Judici & partibus creabantur, illas certas, solemnesque esse voluerunt, quibus id negotium datum fuit.

4. Sublatus itaq; fuit per hanc solemnitatem, tantum actionum abusus, non autem res ipsa, sive actionum innata à Jure Gentium natura, quâ interdum eadem causa, de unâ eâdemque re plures effectus sive actiones producebat.

5. Porrò actionibus illis compositis, ut naturaliter evenire solet, formulæ illæ, à Pontificibus præscriptæ, sub disputationis in eadem à Juris prudentibus revocata, atque quousque extendendæ essent, dubitatum fuit. *Confer. l. 58. §. 2. ff. pro socio. l. 32. ff. de Obl. & Act. l. 53. ff. eod. & passim alibi, ubi in d. l. 32. Hermogenianus J. C. tus dicit: Post magnas varietates obtinuisse, ut de unâ re pluribus actionibus uti liceret.*

6. Supererat adhuc aliud dubium, quod, si de unâ re pluribus actionibus experiri fas esset, an id ita intelligeretur, quod jus sit unam actionem successivè post alteram proponendi, an simul & semel iis utendi? Illud persuadebat, ipse actionum harum & formularum compositarum finis: Hoc vero Jus Gentium, à quo cum J. Civile, quantum ad hoc, expressâ lege non recessisset, eidem etiam num infervire videbatur. *argum. l. 6. ff. de l. & l. imò ipse præsens usus forensis, quo omnes actiones competentes plerunque apud Prætorem edebantur. d. l. 32. ff. de Obl.*

Obl. & Act. l. 7. §. 1. ff. de injur. idem demonstrabat, quia formulæ illæ non in id datæ, ut qualitas sive indoles negotij iis concluderetur & restringeretur, sed ut negotio accommodarentur, & secundum ejus qualitatem vires suas exferrent.

7. Denique illorum sententia obtinuit, qui finem compositarum actionum urgebant, cum alioquin facile hoc modo actionum abusus reduceretur, quem tamen actionum compositores unice evitare voluerunt. Excepto casu, si actor ex probabili causâ dubitaret, quâ actione experiri deberet, quo plurium actionum diversarum cumulatio permittitur. *l. 1. §. quia. 4. ff. quod legat.* utrumque jus & Gentium & Civile eo limitantes.

8. Horum verò sententia, uti apud alias gentes in usu mansit; ita postmodum sublatis formulis, & statu Imperij immutato, in frequentem usum etiam apud Romanos reducta fuit, legesque cœperunt huic materiæ applicari, ut, ubi illæ dicunt, pluribus actionibus uti licere: ibi superiorum ætatum *Dd.* id ferè confundentes statuerint, eas simul quoque edi, & in libello eodem exprimi atque institui posse.

9. Existimabant scilicet, utile illud ad coarctandos litigiosos processus, & lites abbreviandas, futurum, si apud eundem Judicem, eodemque tempore, simul disceptarentur ea, quæ alioquin multiplicatis sumptibus & molestiis seorsim explicanda forent, sicq; actor eò citius suum consequeretur & litibus finis imponeretur. *Ventur. de Valent. in Parthen. litig. 2. c. 13. n. 11.*

10. Atque initio forsan suo effectu hoc non caruit, unde hodiernum cumulatio actionum ex genere permissorum habetur, & Actore plura remedia in uno libello, casu aliquo cumulante, Rei est, si quidem id impugnare velit, probare, earum actionum cumulationem esse prohibitam. *Resbach, in Process. civ. tit. 34. n. 2.*

11. Verùm, ut fieri solet, etiam hic cumulandi actiones usus ab improbis litigatoribus *πρὸς τὴν Φυγοδοκίαν* trahitur, eoque sit abutuntur, ut sæpè causa nunc sit, infinitorum processuum & disputationum, votumque nobis relinquat, ut, & hodie fata Constantinum quempiam animent, qui, ut ille olim insidiosas Juris formulæ aucupationes syllabarum, scrupulosas hæc actionum cumulationes rumpat.

12. Doctores quidem eas ad has regulas exigunt, nempe: 1. *Ordinis Judicij*. 2. *Contrarietatis & repugnantia*. 3. *Præjudicij*. Rectiùs sanè si istos Rabulas & viti litigatores ad perpendiculum. Volui præfationis loco hic in genuinam cumulationis actionum originem inquirere, eoque uberius, quo minus dilucidatam eam omnibus esse, depræhendi.

13. Jam ut ad scopum declinem, dixi, quod hodie ille cumulandi actiones abusus intricatas pariat disputationes, quas inter hæc celebris & agitata. *Fachin. 8. contr. v. 6.* perplexa alta & per difficilis, & quæ omnium ingenia exercuit. *Menoch. de retin. possess. remed. 3. q. 66. n. 511.* quæstio est: *An petitorium & possessorium uno libello verè cumulari, simulque tractari possint?* Cujus succinctam resolutionem, *Deo ter opt. max. clementer adjuvante*, in præsentis hac inaugurali disputatione, pro more habendâ, quantum tulit temporis quo circumscriptus fui, angustia, proponere libuit. Salvo quidem rectius sentientium judicio, salvâque auctoritate Dd. dissentientium, quibus tanto minus quidpiam derogatum volo, quanto magis ipsis gratias ago, quod multum adjumenti attulerint, ad sententiam cogitationum mearum rationibus & textibus juris confirmandam.

DE

4. 3
DE CUMULATIONE JUDICI
CII PETITORII ET POSSESSORII.

14. Ut eò planius & securius progrediar, operæ præ-
tium duco, ante omnia terminos hujus Thematis exa-
minare, quorum interpretatione adhibitâ magis eam
perspicuam fore reor. Est enim lux intellectus, cognitio
terminorum.

15. *Cumulare actiones*, quid sit & dicatur ex illis
ferè, quæ in præfatione dixi, expedita sunt, nempe coa-
dunare, conjunctim edere & tractare, plures diversas
actiones, id quod sibi debetur, eò melius consequendi
gratia. Quemadmodum enim cumulus debiti vocatur
coadunatio multarum summarum. *l. 8. l. 9. §. 1. ff. de pactis;*
Ita cumulus actionum est editio plurium actionum, &c.

16. Dicuntur etiam cumulari actiones plurium rerum
diversarum. *e. g. si quis ex causa mutui 100. ex causa emptionis
& venditionis 100. ex causâ depositi itidem 100. petat. l. 11. ff. de
jurisdic.* Verùm ita dicuntur Analogicè, & per se minus
huc pertinent, nihilque aut parùm habent dubitationis.

17. Differt ab *actionum concurrentiâ*, quæ juri
Civili potissimum accepto ferenda & actiones concu-
rentes non unâ formulâ proponit. *l. 76. §. pen. ff. de legat. 2.
l. plura. 53. de Obl. & Act.* sed successivè unam post alteram.
d. l. 34. ff. de Obl. & Act. l. 88. ff. de furt. Singulis enim con-
troversiis singulas actiones, unumque judicati finem
sufficere, probabili ratione placuit. *l. singulis. 6. ff. de Ex-
cept. rei jud.*

18. *Judicij* vocis explicationem *πολυμαχίας*, hac vi-
ce brevitatis gratiâ, sequestratam volo, quam qui exactè
novisse gestit, eam ab *Accurs. ad §. præterea. 1. I. quib non est
permiss. fac. Testam. Mynsing. ad pr. I. de off. Jud. C. I. A. vol. 1.
tit. de Iudicis. th. 2. Gilhausen. in prælud. Arb. judic. n. 2. & 3.
& à Lexicographis. imprimis Ioann. Calvino, b. vocabulo. re-
petere*

petere potest. Hic, ut in multis aliis juris locis, designat actionem.

19. Quâ vel proprietatem aut Dominium rei controversæ mihi assero, h. e. rem meam esse ajo adversus possessorem, qui eam possidet vel detinet, petens me Dominum rei controversæ declarari, & eam officio Judicis mihi à possessore cum omni causa restitui. Quod dicitur iudicium petitorium. *l. 36. ff. de R. V. à petendo vel petitore. l. 28. ff. de Obl. & Act. l. 178. §. 2. ff. de V. S. Canis. §. iudicium, I. Iur. Can. de Iudiciis.*

20. Et propriè est actionum realium, *per modo alleg. II. VVesemb. in w. ff. de Iudic. n. 8. & in w. C. eod. n. 5. Darres. in Erotom. ad tit. C. de Iudiciis. p. mihi 306. Vmm. disp. ad process. I. th. 2. n. 19.*

21. Sub quibus etiam Præjudiciales actiones comprehendi volo, ceu quæ etiam in rem esse videntur. *§. præjudiciales. 13. I. de Action. ac in illis aliquid peto quasi meum. Vmm. disp. ad process. I. th. 2. n. 10. facit. l. 7. §. 5. ff. de liber. causa. l. 5. C. eod. Bachov. de Action. disp. 2. th. 19.*

22. Vel quâ solam possessionem rei, mihi assero, quæ per vim vel alio modo mihi ablata vel interpellata est, eamque mihi restitui, à Præatore postulo. Ex quâ possessorium iudicium dicitur. *c. 5. X. de caus. propr. & possess. aut remedium possessorium, Iudicium possessionis. l. 34. §. 4. ff. de contrah. empt.*

23. Et versatur circa tria hæc, videlicet. 1. Possessionem adipiscendam, quam non habemus nec unquam habuimus. 2. Possessionem retinendam, quam habemus, sed turbatam. 3. Possessionem recuperandâ, quam amisimus. *l. 2. §. 3. ff. de Interdict.*

*2. §. 2. ff. de interdict.
1. §. 30. C. ult. ff. de ac.
Iustid. C. certis.
3. §. 17. ff. de itin. act.
privat.
hinc. Iust. de interdict.*

24. Interdicta enim possessionis causa comparata sunt. *Duar. ad tit. de Interdict. & I. disp. 19. seu, ut possessionum jura defendantur. VVesemb. in w. ff. de Interdict. n. 8. & quemadmodum pro Dominio & proprietate rerum vel*

vel acquirendâ vel conservandâ, prodita sunt judicia & actiones; Ita & pro possessione. *Duaren. dd. ll. quâ de non minus ingentes semper sunt controversiæ, Oldendorp, cl. 2. act. 1. ab initio.*

25. Ex quibus etiam apparet, quod hæc duo judicia, suo modo etiam fine & effectu differant. *Dissent. Vmm. d. disp. 1. th. 1. n. 20.* Quamvis enim utrumque remedium restitutionem possessionis intendere videatur, *per l. 10. ff. de hered. petit. l. 17. l. 20. l. 68. ff. de R. V. §. item Serviana. I. de Action.* fit tamen illud non æquè principaliter & directò, sed per accidens ac obliquè, & uti excedens atque excessum. *Bald. ad l. ordinarij. 13. C. de R. V.*

26. Nam reale iudicium principaliter proprietatem persequitur, sive, est proprietatis declarativum ac interdum constitutivum, estque perpetuum, non momentaneum, in quo excedit possessorium. Sed contra exceditur à possessorio, quia in petitorio debet probari Dominium, quo deficiente, reus etiam si nihil fecit absolvitur, *l. 4. C. de edend. c. in pari. X. de R. I. in 6.* In possessorio verò nihil aliud requiritur, quàm ut factum possessorium probetur, quia de facto, nō de jure disputatur. *l. 11. §. 1 ff. si serv. vind.* nempe an hoc anno possederit, non vi, nec clàm nec precariò. *l. 1. §. 2 ff. de Itin. act. priv.* vel an litis contestatæ tempore, nec vi, nec clàm nec precariò ab Adversario possederit. *§. 4. I. de Interdict. Schultz. in synops. Instit. Jur. in not. lit. c. ubi etiam notat differentiam. I. Canon. & Saxon. hic à I. Civili.* Quamvis quoad Ius Canon. de hac differentia dubitet *Bachov. ad Treutl. 2. 25. 3. lit. l.* In possessorio recuperandæ possessionis etiam illi possessio restituitur, qui vitiosè possedit. *§. 6. I. de Interdict.* Prætor enim cuiusque vim primò quærenti, succurrit, nec in hoc summario iudicio inquirit, an justè vel injustè possederit, sed interim pro eo pronunciat, cum & præsumtio, pro eo sit, qui per viam Juris primò ambulare voluerit.

B

27. Fit

27. Fit etiam aliàs in jure mentio, actionum possesso-
riarum. *ut in l. 50. §. 2. ff. de bon. libert. l. 4. in fin. ff. de Carbon.
Edict.* Sed de iis hîc non quæritur.

28. Dicitur, *Uno eodemque libello.* Unitas libel-
li estimanda est ex unitate conclusionis, quando illa facit
unitatem petitionis, scil. si eadem est actio, e. g. in actio-
ne reali petitur pronunciari, quod res sit petitoris pro-
pria & ipsi restituenda, *in Rechten zuerkennen / daß libel-
lirtes Hauß Klägern Jure Dominij vel quasi zuständig /
vnd Beflagter solches / zusampt allen empfangenen Aus-
sungen / Klägern wider einzuraumen vnd zuerstattten
schuldig sey / etc.* Si verò diversæ sunt actiones, dicitur li-
bellus unus idemque, quando conclusio est communis
utrique actioni. *facit, l. heredes. 25. §. 3. ff. fam. ercisc. l. 10. de
action. Empt.*

29. Jam ad ipsam quæstionem: *An scil. petito-
rium & possessorium uno eodemque libello cu-
mulari & institui possint?* Circa hanc quæstionem
determinandam erubescenda sententiarum & Auctori-
tatum colluctantium sese offert varietas & licentia, ac
tanta quidem, ut certitudo quædam vix à quopiam cer-
ni possit.

30. Quidam enim quorum agmen ducit Martinus,
Antiquus Glossator. *Zafius ad §. minus. 17. l. de Action.* ita
statuunt. Petitorium & possessorium simul cumulari
posse, excepto possessorio retinendæ, propter ejus repu-
gnantiam & contrarietatem. Quam sententiam omninò
recipiendam esse autumat. *Vmm. disp. ad process. 6. th. 14.
n. 67. nec esse legem contrarium dicentem, quodque istud ve-
rum sit, sicut Evangelium, asserit Cynus. ad d. l. ordinarij. C.
de R. V.*

31. Alij, quorum sententia autorem habet Petrum
de Bella pert. Glossatorem. *Fachin. 8. controu. 6.* ita sen-
tiunt.

6. 5
tiunt, quod omne petitorium cum possessorio cumulari possit, & hanc cumulationem nihil impediat, quam ordo Judicij. *Canis. §. potest. I. Iur. Can. de Iudiciis.*

32. Joannes Glossator, Azo, eorumque affectu, inter quos est Doctissimus, & de Jurisprudentia optimè meritus Donellus. *ad d. l. 3. n. 4. & seqq. C. de interdict.* argutè & acutè concludunt pro Negativâ, nempe quod petitorium & possessorium uno libello verè cumulari non possint, h.e. quod vera cumulatio quando scil. duo remedia diversa nō tantum simul intentantur, sed etiam una sententia super iis fertur, in his locum non obtineat. *Bart. in l. naturaliter. 12. §. 1. ff. de Acquir. possess. ubi dicit: Petri opinionem & Cyni falsam esse, sicut Iudas Ischarioth.*

33. Alij aliter hanc controversiam decidunt, qui vel sub conditione: se scil. possidere, & si maximè non possideat, sibi tamen tanquam Domino rem à possessore restituendam esse, cumulationem horum Judiciorum admittunt.

34. Aut si alternativè intendantur, veluti: Si actor intendat sibi possessionem restituendam esse, quia ex fundo vi dejectus sit, & si maximè dejectus non sit, jure tamen Dominij ad se possessionem spectare. *Vmm. d. disp. 6. th. 14. n. 67.*

35. Aut adjectâ clausulâ justificatoriâ, in quâ actor petit, super petitis & omnibus aliis sibi jus & justitiam administrari, cujus effectus sit, ut per aptam actionem, inepta sustineatur. *Coler. consil. 54. n. 10. Dn. Doctor meus, gratâ animi memoriâ aeternum prosequendus, nunc in alyois. Ioann. Suevius. Antecessor in almâ Salanâ. in tr. de concurr. act. c. de libell. Eberhard. in Top. loco. 113. n. 8.*

36. Vel omnino cumulationem & concurrentiam actionum, remedia Juris diversissima. *Vmm. d. disp. 6. th. 14. n. 62.* malè confundunt.

37. Nolo ego hîc præcipiti judicio, damnare omnia

ea, quæ praxis moderna in foro custodit & observat, proque utilitate communi, contra rationem disputandi recepit. Certum enim est, omnia illa ad principia juris, tanquam ad Lydium lapidem non posse accommodari.

38. Nec hac vice iudicium mihi sumam de iis, quæ forsan Jus Canonicum in hac cōtroversia decrevit, quod à J. Civili hîc discrepare dicit. *Giphan, ad d. l. 3. C. de Interdict.*

39. Tantùm iustrabo, quæ relatarum opinionum Juri Civili magis sit consentanea. Ubi si sine ulteriori verborum anfractu dicendum sit, quæ verior mihi videatur, Negativam, h. e. Petitorium & possessorium, uno eodemque libello cumulari, edi & tractari non posse, talem esse, respondeo. *quam sententiam præter sup. alleg. laudant. C. I. A. vol. 2. ad tit. de Acquir. poss. §. 22 Besold. 1. de lib. Jur. ad tit. de Iudiciis. q. 6.*

*in iure civili
ut: Ad. h. seq.*

40. Jus enim civile si perpendatur, notum est, quod eidem probabili ratione placeat, singulis controversiis, singulas actiones, unumque iudicati finem, h. e. sententiam sufficere, ne aliter modus litium multiplicatus, summam atque in explicabilem faciat difficultatem, maximè si diversa pronuncientur. *l. singulis. 6. ff. de Except. rei iud.*

41. Ac quod specialiter circa hanc quæstionem sanciat: Quotiescunque possessionis & proprietatis quæstiones concurrant, quod fit, quando de utraque partes non conveniunt, h. e. super utroque iudicium suscipiunt, prius de interdicto cognoscendum ac statuendum, petitorium verò differendum. *probatum hoc nõ tantum per textum generaliter id asserentes, ut l. 24. ff. de R. V. l. 35. ff. de Acquir. poss. l. 3. de Interdict. ubi expressè proprietatis actio vocatur secunda.* Sed & qui de singulis partibus enumeratis loquuntur & decidunt, ut de adipiscendæ possessionis interdicto. *l. 1. §. 4. ff. quod legat. l. 3. C. quor. bonor. 2. de retinendæ in-*

7.
5
dæ interdicto. §. 4. I. de Interdict. l. 3. C. fin. Regund. l. un. C. uti
possid. facit in arg. c. 21. X. de Indic. 3. de Recuperandæ pos-
sessionis interdicto. l. 37. ff. de Indic. l. 13. C. de R. V. l. 1. C. de Ap-
pell. Rosfred. Benevent. in ord. Indic. tr. de interdict. c. 1. n. 4.

42. Ne scil. 1. partes ad arma & vim deveniant. d. l. 37.
ff. de Indic. Non enim ad arma, rixas, tumultus Prætor
patiatur pervenire, quos Jurisdictione suâ potest compo-
nere. l. 13. §. 3. ff. de Vsufruct. 2. ut exploratum sit, utrius co-
rum possessio sit, ut constet, quis probare debeat, quo si-
ne non potest petitoria actio institui. d. §. 4. I. de Interdict.
cum & civilis & naturalis ratio faciat, ut alius possideat
& alius à possidente petat.

43. Hocque non consilij solùm, secundum opinionem
Petri, sed etiam necessitatis esse, dicit Balbus ad d. l. ordina-
rij. 13. C. de R. vind. Hubert. de bon. curs. in prax. c. quib. mod. suo
nom. civ. & c. & ibi Anton. de Tremolis. n. 213. ne si post lon-
gam disceptationem Adversarius diceret, se non possi-
dere, quod fieri potest. l. 64. ff. de Vsufruct. l. 6. ff. de damn. in-
fect. Judicium redderetur elusorium. Quare omnino
prius requirendum est, an is, cum quo instituat actio-
nem, possideat nec ne. l. 36. pr. & l. ult. ff. de Rei vindic.

44. Sit argumentum tale: Ubicumque ordo Judicij
efflagitat, ut una actio post alteram intentetur, & de alte-
ra prius cognoscatur, ibi cumulatio obtinere non potest.
Atqui in concursu petitorij & possessorij, ordo Judicij ef-
flagitat, ut prius de possessione judicetur. E.

*hic fundu-
rio in libello; et
gnitio et tractatio*

45. Major stat per regulam illam cumulationum pro-
hibitivam, ob ordinem scil. Judicij. Bart. in l. natu-
raliter. 12. §. 1. n. 18. ff. de Acquir. possess. Giphon. ad l. 3. C. de In-
terdict. n. 1. Dynus. in c. nullus pluribus. 20. n. 12. de R. I. n. 6.

46. Quod & in possessorio rei merè Ecclesiasticæ re-
cuperandæ vel retinendæ adversus clericum spoliato-
rem intentato, apud Judicem secularem. (quod fieri pos-
se, ac frequenti forensium Iudiciorum usu undique receptum
esse,

esse, per Germaniam, Italiam, Galliam, Delphinatum, Hispaniam, Lusitaniam, Regnum Galicia, in Camera Imperiali Spirensi, in Senatu Mediolanensium, in Regali Cancellaria Granatensi, in Curia Burdegalensi, Camberinensi, Tholosanâ, in Senatu Dolano, Pedemontano, pluribus deducit & attestatur Hieronym. de Cevallos. part. 2. tr. de cogn. per viam viol. q. 65. n. 9. Grivel. decis. Dolan. 128. videatur omnino C. I. A. vol. 2. ad tit. de Interdict. th. 22.) obtinet, ut durante possessorio, non possit institui petitorium, sed permittere debeat possessorium finire, aut possessioni renunciare. c. Pastoralis. X. de causs. possess. & propriet. quam Decretalem clavem esse in hac materia, dicit Anton, de Tremolis, supr. alleg. l. Iohann. Gallus in Arrest. Parliament. Paris. decis. 155.

de possessione.
art. 6.

47. An sententiæ latæ super possessorio, à quâ appellatum fuit, executio impediatur? Videatur Octav. Cacherran. in decis. Pedemont. 47. n. 2. ubi negativam astruit. per l. unic. C. si de moment. possess. fuerit appell. quæ Canonisata est. in c. ei qui 2. 6. & refert in quadam causâ ita à Senatu fuisse decisum, Eberhard. in Top. loco. 109. n. 8. Petrus de Ancharano, ad clement. unic. de causa propr. & possess. Hieron. de Cevall. supr. all. tr. q. 10. n. 8. & seqq. Ratio est, ne quod beneficio celeritatis inventum est, subdatur injuriis tarditatis, cum talis sententia non magnum neque diuturnum afferat præjudicium sive gravamen contineat ejusmodi, quod possit facilè reparari & corrigi in judicio petitorio. Rittershus. lib. 5. differ. Juris Civ. & Can. c. 25. ubi h. in q. differentiam utrorumque jurium astruit, quam pro vera non agnoscit Cujac. ad c. 15. X. de foro compet. Fachin. 1. controvers. 75. lit. b. Hieron. Cevallos. supr. alleg. l. n. 9. quæ sententia an defendi possit, videbo. Ostare vith. cap. n. ad fide. 15. X. et rest. spohat.

48. Ad hæc impedit horum Judiciorum cumulationem & altera regula impeditiva, nempe *præjudicium*. Quandocunque enim sententia lata in una actione, parit exceptionem rei judicatæ in alterâ, cumulatio earum actionum

actionum non admittitur. p. l. fundum. 16. l. fundi. 18. ff. de
Except. Dynus. ad d. c. 20. de R. I. in 6. n. 10. cum non debeat
expectari casus, cuius eventus nihil operatur. l. pen. ff. de
fidejussor. l. aliquando. 13. §. 2. ff. ad SC. Vellejan.

49. Atqui absolutoria lata in petitorio, parit exceptio-
nem in possessorio. l. 2. §. quædam. ff. de Interdict. l. 21. §. pen. *nihil probant*
ff. de Except. rei jud. Bart. in d. l. naturaliter. §. 1. Dynus ad c.
qui ad agendum. 71. de R. I. in 6. & ad c. 20. eod. Fachin. 8. con-
trov 6. & testatur Iohann. Gallus in Arrest. Parlam. Paris. de-
cis. 261. Priorem de Chaude fontaine, qui succubuerat in peti-
torio cuiusdam beneficii, contra illum dictum fuisse per Arre-
stum. Etenim Judicium proprietatis absorbet victoriam
possessorij, petitorium ad se trahit possessorium. l. post sen-
tentiam. C. de sent. & inter loc. c. cum dilectis. c. pastoralis. X.
de causa propr. & possess. causa proprietatis ut major, trahit
ad se causam possessionis, ut minorem. Cravett. consil. 248.
n. 5. Longè enim minoris æstimatur possessio, quam pro-
prietas, imò causa possessionis respectu proprietatis dici-
tur parva, etiamsi agatur de possessione magnæ proprie-
tatis. Decius. in c. de Appellationibus. X. de Appellat. & dicitur
modici præjudicij. Cravett. consil. 158. n. 12.

50. Inde etiam de possessorio Impp. in l. post senten-
tiam. 9. C. de sent. & interlocut. rescripserunt: De possessio-
ne sententiâ pronunciatâ, proprietati nullum præjudi-
cium afferri, nec audiri in petitorio opponentem exce-
ptionem rei Judicatæ in possessorio. l. 14. §. 3. ff. de Except.
rei Judic. Quemadmodum etiam plerumque in senten-
tiis super possessorio latis, hæc clausula adjicitur: Daß
dem Beklagten seine angegebene Gerechtigkeit in petito-
rio auszuführen billich vorbehalten werde / B. R. W.
Schneidew. ad pr. I. de Interdict. n. 15. Ratio est, quod, uti
supr. d. possessio proprietatem non contingat, minus
quod ejus causam, possessorium finiat. arg. l. 1. §. ult. ff. de
Aq. quotid. & astiv. sed tantum possessionem, quoad
de

de proprietate iudicatum fuerit, alteri addicat. *Reinking. in tr. de Reg. sec. & Eccl. 1.4.19. n. 55. Schulz. in synops. Inst. de Interdict. in not. lit. c. nisi possessorium absorbeat petitorium, ut possessorium recuperandæ, non simpliciter, sed secundum. l. si quis in tantam. 7. C. unde vi. intentatum.*

51. Militat etiam, quamvis in particulari, contra hanc cumulationem, ipsorum horum Iudiciorum *contrarietas*. Qui enim agit, uti possidetis interdicto, is se possidere fatetur. *l. 1. §. est igitur. 4. ff. uti possid.* quod ex libello apparet. *ibi premissis premittendis: sage / daß ich einen Garten in ruhigen Besiz vnd Gebrauch gehabt / vnd noch auff diesen Tag innhabe vnd besize. Nun thut mir der Beklagte solchen Eintrag / daß ich mich desselben Gartens nicht mehr / wie vor / gebrauchen / noch die Nuzung davon ruhiglich haben mag. Weil dann solche Verhinderung vnbillich / re. bitte ich mit recht zuerkennen / daß der Beklagte mich in gedachten meinen Garten vnbillich turbire vnd verhindere / deß wegen er mir billigen Abtrag zu thun schuldig / mit angehengter Caution / mich in den Besiz meines Garten hinfüro friedlich vnd vnverhindert bleiben zu lassen. Rosfred. Benevent. p. 2. ord. Iud. c. de interdicto uti possidetis. n. 5. Oldendorp, cl. 2. act. 4. in Practica. Menoch. d. de retin. possess. remed. 3. n. 513.*

52. Petitorium verò sive Rei vindicatio, præsupponit adversarium possidere. *Bachov. de Action. disp. 2. th. 14.* possessori enim non datur ultrò actio, h. e. ex parte possessoris non datur actio. (*idenim vocabulum ultrò hîc significare arbitror, cum alij abundare, alij idem quod prius denotare putent.*) sed contra possessorem. *l. 1. §. 6. ff. uti possid. §. 2. l. de Action. l. officium. 9. l. sin autem. 27. §. si homo. ff. de R. Vind. l. unic. C. de alien. jud. mut. causa. c. examinata. 15. X. de Iudic. Govean. 1. variar. 3.* sufficit enim possessori eum possidere. *Oldendorp. in tab. Actionum. sub vocabulo. possessio. Vide*

dete

9. 5
aete sitis intentionem libelli: *Domine Iudex, dico Titium possidere quandam scil. domum, quæ ad me Iure Dominij pertinet. Quare peto me declarari Dominum ejus, & compelli adversarium ad restituendam eam unâ cum fructibus, &c. Si- chard, ad l. 5. C. de R. V. n. 5. Hic non est possibile, simul ve- rum esse, quod in utroque libello continetur, quia in uno affirmat, in altero verò negat. Affirmatio autem & negatio, sunt directò contraria, Dynus. in c. nullus pluribus. X. de R. I. in 6. n. 5.* Obs. 2. 9. ff. de R. V.

53. Et omninò festivus esset Iudex qui diceret, se Acto- ri possessionem tribuere, quam non tribuit, cum non vi- deatur pervenire, quod mansurum non est, & præsertim si statim auferatur, quod datum erat. *l. 71. de V. S. aut si Reum possessionem habere juberet, eandemque simul, retinere eum vetaret. Donell, ad d. l. 3. n. 8. C. de Interdict.* Tot enim sententiæ requiruntur, quot sunt diversæ actio- num species.

54. Major fundatur in altera regula cumulationum prohibitiva, *ob contrarietatem*, scil. per *l. 1. ff. de furt. forte est 2. 1. ff. de privat. delict.* Rosbach. in process. Civ. d. c. 34. n. 3. & est ratio, quod alle- gans contraria, non sit audiendus. *l. 2. §. sed si alias. ff. quan- do appell. sit. l. 13. §. 3. ff. de reb. dub. l. 188. ff. de R. I. c. sollicitudi- nem. X. de appellat.* Ratio enim contrariorum est, ut posito uno, alterum removeri intelligatur. *l. 7. de R. I. Summa li- belli virtus est, apta petitio. Gail, 1. obs. 61. n. 31.*

55. Facit in exemplum formula appellandi, imperi- tis procuratoribus aliquando frequentata: *Appello & dico sententiam nullam.* Ubi appellatio præsuppo- nit sententiam de Jure validam, nullitas verò negat. Omninò perperam, Si enim sententia nulla est, cui bo- no appellat? Videat. *Ioan. Anton. de S. Georg. ad c. dilecto filio. 03. X. de Appellat. n. 34. & seqq.*

56. Quamvis & hujus cumulationis usum, hodie Ju-
C dicia,

dicia, alternativè tamen & inverso ordine admittant, ut:
Dico sententiam nullam, & si qua est, appello.
Tusch. vol. 2 conclus. 1096. n. 13. & conclus. 1095. n. 9. & 12. Eber-
hard. in Top. loco, à Natura copula. n. 8. Ratio suadet, ut ap-
pellans eligere cogatur, si excipiat Reus, utro remedio
velit experiri, *l. 7. §. quia autem 4. ff. de Injur.* Ideoque Reo
vigilandum est, ut statim ab initio de ineptâ cumulatio-
ne excipiat. *Dn. Doctor meus Ioann. Suv. supr. all. l.*

57. Nec est, ut quis dicat: Contrarietatis Regulam ve-
ram esse, quando quis uno & eodem respectu, sibi con-
trarius est, h. e. unam eandemque possessionem sibi asse-
rit, negatque. Fallere verò si diverso respectu, quatenus
fieri potest, ut quis detentando tantum civilem & natu-
ralem, vel naturalem possidendo, alterius civilem pos-
sessionem turbet, ut ita nullum absurdum sit, si hoc mo-
do petitorium & possessorium simul intententur. *Ita Sa-*
lycet. ad l. 3. C. de Interdict. n. 6. §. ex quâ ratione. Menoch. d. l.
n. 522. & 527.

58. Resp. prius hujus objectionis membrum jam olim
ab Impp. *l. 25. C. locati, junctâ l. 20, l. 23. eod.* decisum fuit. *ibi:*
omnino prius possessio restitui dicit, & tunc de proprietate li-
tigari. Alterum membrum ignorat Elenchum. Etenim
turbatio possessionis civilis in hoc ipso consistit, ut natu-
ralis ipsi denegetur. Et si per interdictum removeo tur-
bationem civilis, revera intendo apprehensionem natu-
ralis, h. e. Agens rei vindicatione, agit ad fundi restitu-
tionem, si ex interdicto, e. g. retinendæ possessionis, ad
ejusdem relaxationem. Quo igitur bonum esset, utra-
que remedia cumulare?

59. Imò regerunt: Interdicti finem esse, non tantum re-
laxationem fundi & turbatæ possessionis, quam ut agen-
ti in super securitas, & de non amplius turbando cautio
præstetur. E. eatenus cumulatio hæc non erit frustranea.
Confer. l. un. C. uti possid. Duaren. 1. disp. 21.

60. Resp.

60. Resp. hoc non est in quæstione, imò Jus Civile ignorat hanc cautionis exactiorem. Nec in *all. l. un. C. uti possid.* de cautione à victo præstandâ agitur, sed à possessore, seu eo qui in possessione obtinuit, ne res ante petitorium finitum corrumpatur, & deterior fiat. *l. 5. ff. de hered. petit. l. 6. §. ult. l. 15. ff. de Carbon. Edict. l. un. C. quor. Legat. Paul. 1. sent. 11. in pr. Rævard. ad l. 12. tabb. c. 6.* Quam si præstare possessor tergiversetur, in agentem transfertur possessio. *Vvesemb. in x. ff. de R. V. n. 6. Dissent. Duaren. d. l.*

61. Perplexum illum §. *equè. 2. I. de Action.* quod contingit, ex quo dissentientes probant, dari etiam casum, quo is qui possidet, nihilominus partes Actoris obtineat. Non tantum adhuc sub Judici lis est, quis ille sit casus, ut *Eguinar. Baro. Donell. ad d. §. non immeritò dixerint, infelicem esse laborem, quo tam diu casus ille quæsitus nec inventus sit. Verum etiam d. §. tum multipliciter legitur & intelligitur, ut non mirum sit, si ejus veritas ignoretur.*

62. Quidam enim casum hunc unicum in *l. Papinianus. 8. §. si filius. 13. ff. de inoffic. Testam.* haberi, arbitrati sunt.

63. Quidam in *l. officium. 9. ff. de Rei vind. C. l. A. vol. 2.*

64. Quidam in *l. et si fortè. 6. §. sciendum. 1. ff. si serv. vind.*

65. *Contius. 1. Lect. 1.* casum hunc reperiisse sibi videtur apud Africanum. in *l. si priusquam. 15. in fin. ff. de Nov. oper. nunciat.* Idem arbitratur *Duaren. ad d. l. 15. prolect. 17.*

66. *Aemilius Ferretus in comm. ad I. h. §.* textum ita emendat & legit: *sanè non uno casu,* & corruptum esse locum ab iis, qui non intellexunt phrasin latinam: *non uno casu,* h. e. multis casibus, ut sit sensus, quod licet possessor pro rebus corporalibus non agat, sint tamen aliqui casus, quibus sit instar actoris, & ejus partes

*Cuignodi casus in hęc
tamen ad unum in p
q̄o p̄p̄. sed p̄ aliam
q̄ quem possidet.*

obtineat, ut in Judiciis mixtis, præjudicialibus, &c. quam lectionem laudat *Donell. ad d. §. 2. l. de Action. VVesemb. eod. Duaren. ad d. l. 15. ff. de Nov. oper. nunc. prælect. 17. & ad tit. de probat. c. 13. Anton. Fabr. 20. conjectur. 13.*

67. *Eguinar. Baro. ad h. §. verba ita informat: sanè hoc casu, sive sanè illo casu, ut sit ratio ad anteriora, nempe confessoriam & negatoriam, quod approbat. Cujac. h. §. Hottom. eod. Lyclam. membran. 3. Eclog. 10. arg. §. 6. l. de off. Judic.*

68. *Giphan. ad h. §. verba hæc: sanè uno casu, qui possidet, nihilominus is actoris partes obtinet. omninò tanquam spuria & falsò interjecta delenda esse censet.*

69. *Bachov. ad Treutl. disp. 17. vol. 1. th. 13. lit. 6. post multam circa h. §. disputationem, existimat, emendandum eum potius, quam meras nugas agendas.*

70. Qui lectionem vulgarem tuentur, etiam variè eundem §. interpretantur. *Accurs. ad h. §. autumat, Imperatorem locutum esse de duplicibus Judiciis, fam. Erciscundæ, communi dividundo & finium regundorum, in quibus habet actionem qui possidet, per quam negat rem actoris esse. in l. 1. ff. famil. Ercisc.*

71. *Vultej. 1. discept. Scholast. s. dicit, casum hunc totidem in locis Digestorum reperiri, quot locis probandi onus in actione reali incumbit Reo possessori excipienti, quo respectu loco actoris est. l. 1. ff. de Except. eumque casum reperiri. in l. 19. §. ult. l. 21. l. 22. ff. de probat. l. sive possidetis. 16. l. jubemus. 24. c. eod. sequitur Treutl. 1. 17. 13. lit. b.*

72. *Coras. 3. miscellan. 23. n. 6. putat Imperatorem de actionibus præjudicialibus aut de Interdicto, uti possidetis sensisse, ubi uterque se possidere contendit. & Gothofred. ad l. 1. §. 6. ff. uti possidet. in not. lit. h.*

73. Quis non dicat, crucem hîc fixisse Tribonianum

inter-

interpretibus, unicum casum, si qui est, ex latissimis Digestorum voluminibus indagandum relinquens. Ego committere non volui, quin hæc tam varia adducerem, ut intelligerent Jurisprudentiæ interioris, qui se profitentur Studiosi, quantâ ambiguitate & fluctuatione inculceretur, etiam Possessorem agere posse.

74. Sunt adhuc alia plura, quæ pro confirmandâ negativâ adduci possunt. Verùm brevitatibus Studio, ipsi velitationi eadem re servo, Reliqua, quæ hoc in prælio nihil aliud habent, quod parti conferant, quàm ut stent tantum & clament, omninò negligo.

75. Tentabo jam eos, quos contra hanc negativam sententiam in medium producant, textus juris, qui habentur. *in l. naturaliter. 12. §. 1. ff. de Acquir. vel Amitt. possess. l. cum fundum. 18. ff. de vi & vi arm.* Ejusdem armaturæ & indolis uterque textus est, proinde tanti minoris periculi, & mirandum meritò, cur Interpretes communiter, se his conturbari & in contrariam sententiam seducere passifuerint.

76. Intendunt autem hoc: quod petitorio jam instituto & pendente, nihilominus, quis uti possit interdicto & remedio possessorio. Ecce omnem hujus partis vim, cui sustinendæ impares se duxere illi Jurisprudentiæ Heroes.

77. *Cujac. 25. obs. 34.* id tali argumento inducit: Si cœpto Judicio petitorio licet transire ad possessorium, utique etiam ab initio cumulari potuerunt vel possunt. Sed prius est verum. E.

78. Respond. consequentiam Majoris omninò indigere probatione, cum à mutatione actionum, quâ de dictæ leges loquuntur, ad cumulationem, firmum argumentum deduci non possit. Actiones mutare licet. §. 35. *I. de Action* E. easdem statim uno eodemque libello cumulare, coadunare & instituere licebit, planè non sequitur, ceu inter quæ agendi beneficia, longa sit diversitatis

*no sufficiat adducere
nem requirunt
to illi qd satis*

ratio. Giphon. ad d. l. 3. C. de Interdict. n. 4. Besold. 1. delib. jur. ad lib. 2 ff. quæst. 11. p. 208.

79. Pergit Cujac. d. l. Si inficiatio & exceptio possunt conjungi. e. g. nihil debeo, & ut debeam, pepigi tecum, de non petendâ pecuniâ. Etiam hunc in modum licebit agere: Tu non possides, sed ego, & ut possideas, rem meam esse ajo.

80. Respond. à diversis malè fit illatio, patet autem latissimè actionis sive intentionis, & Exceptionis sive defensionis ratio diversitatis, cum jura ad liberandum magis, quàm obligandum propensa sint. Sic pluribus Exceptionibus uti licet. l. 5. ff. de Except. l. 8. ff. eod. l. 40. ff. de R. I. c. nullus pluribus. 20. de R. I. in 6. & ibi Dynus. Canisius. non autem statim sequitur. E. etiam pluribus actionibus Fortius erit argumentum inde à contrario sensu deductum, contra actionum cumulationem, favorabiliores enim in eo sunt Rei, quàm Actores, quum in horum potestate sit, quando provocent, non autem in potestate reorum, quando provocentur. l. purè. 5. §. fin. ff. de Except. dol.

est l. 1. ex parte, qd
inter cumulati fuerit.
in a. textu s. credit
s. à contrario sensu.

81. Aggrediar ipsum, illius multâ famæ. l. 12. (ita eam appellat. Cujac. d. Obs. 34.) paragraphum primum. ff. de Acquir. vel amitt. possess. Quem si præliis fregero, negativa trophæum latura est. Verba ejus hæc sunt: *Nihil commune habet proprietas cum possessione, & ideo non denegatur ei interdictum uti possidetis, qui cœpit rem vindicare. Non enim videtur possessioni renunciasse, qui rem vindicavit.*

82. Admodum h. §. nobilissimos etiam superioris, & hujus ævi Dd. exercuit, & in eo, ut lepide Oldendorp. cl. 2. act. de possess. p. mihi. 132. loquitur. se torserunt, sicut mus in pice.

83. Fachin. d. 8. controuv. 6. Ita accipit hoc Ulpiani responsum, quasi loquatur non de possessione, sed de quali quali rei detentione & corporali occupatione, Actorem-
que

que de facto egisse Rei vindicatione, potuisse tamen nihilominus interdicto, uti possidetis, experiri.

84. *Cujac. 7. obs. 38.* Ita interpretatur *h. §.* ut locum habeat, quando non constat actorem possidere. & *25. obs. 34.* ita docet: Nihil commune habet proprietas cum possessione, &c. Quia etsi possessori Rei vindicatio non competit, non tamen sic agit eo nomine, ut possessionem, si quam habet abjiciat. Vindicatio enim non renunciandæ, sed avocandæ possessionis gratiâ, comparata est.

85. *Borcholdt. de Acquir. Possess. c. 8. n. 35.* putat, omnino prius licere agere de proprietate, quàm de possessione, per *d. l. 12. §. 1.*

86. *Lycklama. membr. 1. Eclog. 3.* putat speciem facti h. in §. esse hanc, quod turbator aliquis partem fundi corpore & animo Domini ingressus fuerit, quam Dominus mente & cogitatione possidebat, una cum illis partibus, quibus corporaliter insitit, contra quem turbatorem Dominus rei vindicatione uti possit, quamvis per hoc Dominus non desinat esse Dominus & possessor corpore animoque fundi universi, propter partes, quas adhuc circumambulat liberas ab invasione, quibus partes facto turbatoris avulsæ cohæreant tamen adhuc jure, &c. Alij aliter, quos omnes hic compilare brevitatis gratia super sedeo.

87. Videtur §. h. minus difficultatis habere, si penitus cum rimabimur. Ruminanda omnino ejus verba. Dicit *Jctus. Nihil, Gothofred. ad h. §. in not. lit. d.* legendum esse tentat, *nonnihil*, frustra sanè hoc in loco, *commune habet*, h. e. nihil participat, separata sunt, *proprietas* sive Dominium abstractivè scil. consideratum, quatenus denotat jus, & titulum proprietatis, ac sine possessione esse potest. Accipitur aliàs vocabulum *proprietas*

prietas sive Dominium etiam concretivè, pro ipsa Dominatione, quam Dominus ipso facto possidet & exercere potest. *Besold. 3. delib. jur. ad lib. ff. 41. q. 6.* quæ tamen acceptio non est *h. §. cum possessione.* Et possessionis vocabulum dupliciter accipitur. 1. Concretivè, considerata in ipso rerum usu, jure & situ, quatenus jus, quo res nostra est, unum tantum est, ac Dominium sibi annexum habet. *Harmenop. 2. Epit. 1. Civil. tit. 1. h. e.* quatenus Dominium nō magis, à possessione separari potest, quàm res à sua causa, fine, materia & effectu. *l. 78. ff. de V. S. l. 115. ff. eod. & ibi Goedd.* quæ acceptio etiam non est *h. §.* 2. Accipitur & consideratur possessio formaliter & abstractivè, quomodo *h. §.* accipitur & planè à causa Dominij sive proprietatis separatur, nihilque commune cum eâ habet, *Vvesemb. in τ. ff. de Acquir. vel amit. poss. n. 2. & n. 8.* stultam avaritiam mortalium, possessionem, proprietatemque ita discernere, dicit *Seneca, ille eruditionis Princeps. Epist. 73. p. mihi. 673.* Uberior vocabuli, possessionis *πολυμασίας* explicatio, proponitur secundum laudabilem consuetudinem. à *C. I. A. tit. de Acq. vel Amit. poss. n. 2. ubi videri potest.*

88. Pergit Jctus. *Et ideò,* quæ particula est collectiva & *αισιολογική,* non denegatur ei, scil. à Prætoze postulanti, *interdictum uti possidetis,* h. e. judicium possessorium, *qui cæpit rem vindicare,* sive petitorio judicio experiri inceptit.

89. *Non enim videtur,* formula est, quâ veteres in sententiis plurimum utebantur, ut ex Cicerone & aliis patet, *possessionem renunciaſſe,* h. e. eam repudiaſſe, eâ cessiſſe, nos dicimus, *sich etwas verzeihen / auff etwas verzich thun / qui rem vindicavit.*

90. *Ponamus casum:* Cajus in possessione fundi sui turbatus

13
5

batus fuit, hîcque ignarus juris & fori, Rei vindicatione agere cœpit, iudiciumque Prætor more suo concepit. postmodum tractatum habens cum peritioribus, mutaturus actionem, Interdictum uti possidetis, à Præatore postulavit. Dubitabatur: an ei à Præatore denegari possit?

91. *Ratio dubitandi*, 1. videbatur enim quod hæc duo iudicia, de unâ eademque re, ad unum eundemque finem tenderent, sive ad idem competerent.

92. Item, quod 2. eligens rei vindicatione, quæ contra possessorem datur, experiri, cum possit interdicto possessionem retinere, possessioni renunciare videatur. *argum. l. si filius. 30. ff. de minor. Liquidum enim juris est, solo animo possessionem amitti posse. l. 3. §. in amittendâ. ff. de Acq. vel amitt. possess. Gilbert. Reg. 2. Enantioph. 19.*

93. Respondit Ictus Ulpianus: Non debere ei denegari interdictum uti possidetis, qui cœpit rem vindicare. *Ratio decidendi*, quia proprietas nihil commune habet cum possessione, h. e. *ut idem Ictus explicat in l. 1. §. 2. ff. uti possid.* separata est proprietas à possessione, abstractivè sc. consideratâ, cum fieri possit, ut alter possessor sit, Dominus non sit, alter Dominus quidem sit, possessor vero non sit, fieri etiam possit, ut & possessor idem & Dominus sit.

94. Ratio ergò dubitandi prior, nititur falso præsupposito, quod hîc postulentur duæ actiones ejusdem finis & effectus. Rei enim vindicatio ad proprietatem persequendam pertinet, h. e. ut Domino res sua, sive proprietas rei, addicatur & restitatur. *Vvesemb. in c. ff. de Interdict. n. 8.* Interdictum verò uti possidetis, ad possessionem retinendam.

95. Patet illud vel ex earum formulis. Is enim qui vindicat, simpliciter intendit rem suam esse, vindicare namque, propriâ significatione est appropriare, h. e. suum esse, dicere, proprietatis affirmatione, *zu eignen / nullâ*
D possess-

possessionis facta mentione. Habetur vindicandi formula apud Ciceron. pro Muræna. ibi: *Fundum, qui Sabinus vocatur, hunc ego ex J. Quiritum meum esse ajo, ibi ego te Sempronium, ex Jure manu confertum voco.* Duaren. ad d. l. 15. ff. de Nov. op. nunc. Citatus reus usus est hac formulâ: *Unde tu me ex Jure manu confertum vocasti, inde ego te revoco.* Revard. ad ll. 12. tabb. c. 6.

96. Cum enim quis olim rem vindicare vellet. ll. 12. tabb. Prætor cum litigantibus in agrum litigiosum se conferebat, ibi actor præhensâ manu rei, & gleba fundi, in Jure, h. e. in præsentia Prætoris, & in re præsentem, utriq; superstibus præsentibus suum vindicabat. Postea cum Prætor ipse, propter negotiorum multitudinem eò proficisci non posset, recepta est formula ex Jure, id est, à Prætoris, ut actor reum ad conferendam manum, in rem præsentem, seu de qua agebatur, vocaret. Formula erat talis. *L. Octavius Judex esto, si paret fundum Capenatem, quo de agitur ex Jure Quiritum Servilij esse, neque à Q. Capulo restitui, Capulus damnetur.* Gell. 20. N. A. c. 9. Cicero. 4. de Divinat. Duaren. ad l. 7. ff. de pact. vers. Actionem à Prætoris dandam. Revard. ad ll. 12. tabb. c. 6. Briffon. de Form. antiq. lib. 5. Lycklam. memb. 4. Ecl. 7.

97. Ubi vero de possessione contentio oborta, Prætor interdicitis suis, seu Judiciis Possessorijs, non de proprietate querebat, sed tantum de possessione, per vim vel alio modo ablatâ aut interpellata celeriter reformandâ & restituendâ: Interdictum decernebatur hoc modo: *Unde tu illam vi dejecistis, restituas.* Et protinus is qui dejectus erat, restitui ex hoc interdicto debebat, non agebatur

17. 5
batur, nec probabatur, nec pronunciabatur de proprietate, sed de possessione ne partes ad arma & vim devenirent, & ut palam esset, ad quem ex litigatoribus interim possessio pertineret, donec de proprietate disceptaretur. *l. 1. §. 2. ff. de Itin. act. priv. VVesemb. in w. ff. de Interdict. n. 5.* Unde etiam quidam ex Dd. Interdicta quasi interim dicta, h. e. quod non finiant causam proprietatis, appellata volunt. Solemnia in restitutione hac adhiberi solita erant, ut qui, e. g. vi dejectus erat, interdicto recuperatorio à Prætorè impetrato, convocaret amicos suos, & cum iis in fundum, recuperandæ possessionis gratiâ deductus, præsentè adversario, surculum defringeret, solemnibus verbis cedere adversarium, vacuumque relinquere possessionem jubens; defraçtoque surculo rursus ex fundo, per eosdem amicos domum deduceretur. *Ravard. ad l. 15. ff. de R. I.*

98. Ratio dubitandi altera committit fallaciam Accidentis. Non enim statim is, qui rem suam vindicat, præsumitur possessioni renunciare, suumve Adversarium possessorem esse, confiteri. Potest enim esse, (*quod & hic omnino præsupponendum,*) quod ex justâ ignorantia & errore probabili, aut aliò obstaculo, id factû sit, *quemadmodum in simili ICtus respondit in l. 4. §. ult. ff. quod cum eo qui in al. potestate est.* Inscientia enim Domini proprii & errantis nullum habet consensum, nec ei possessionem mutare potest. *l. 23. C. locat. Vmm. d. disp. 6. n. 45. Rosbach. in process Civ. tit. 38. n. 10.*

99. Et hoc est, quod in *d. l. 12. §. 1. ff. de Acq. vel amit. poss.* dicitur, *non denegari ei interdictum uti possidetis, qui rem cœpit vindicare.* Consuli possunt. *Govean. 1. lect. var 3 Bachov. ad §. retinenda. 3. I. de Interdict. Charond. 1. verisimil. 6 Besold. 1. delib. Jur. ff. de Iudiciis, q. 6. C. I. A. tit. de Acq. vel Amitt. poss. th. 22.*

100. Quæ

100. Quæ sententia, cum proximè à veritate & mente d. l. 12. §. 2. abesse mihi videatur, meritò pro ea album calculum pono, simulque huic disputationi inaugurali colophonem impono.

DEO SIT LAUS HONOR ET
GLORIA.

Mantissa.

2. F. 29.
2. T. 25.
§. 6. n. 7. l. i.
I. *Quæsitus, An Princeps juvenis ad evitandam familiae voluptuositatem matrimonium ad Morganaticam bona conscientia contrahere possit? Noluit affirmare Pater meus, p. m. M. Nicolaus Rebhan, Pastor, Superintendens Saxo Isiacus Generalis, &c. quem honoris & contestanda filialis observantia & gratitudinis ergò hic laudo, & defendo cum majus quippiam, quod ipsi pro summâ suâ in me pietate & fide rependam, non habeo.*

c. d. in art. c. in ult.
ult. c. col.
sentiam q. x. d. h. p. v.

II. *Sponsus, sponsa, ipso peregrinante demortua, sororem, in uxorem ducere potest. Ontz n. ex sponsalibus publicis bonitatis instituta.*


Paradoxon.

De crimine Capitali sanguinis pœnam ingerente, transigere non licet. Cont. l. Transigen. 100. C. d. transact. l. 1. ff. d. hoc: cur: q. 1. sent. l. ult. ff. d. pœnanciat.

F I N I S.









X 2615926

VD.17







A. ⁴³ ~~44~~ ↑. 5

VGVRALIS

16377
77

LLA
PETI
POS.

ORITATE,
CTORUM
A ARGENTO-
DEMIA.

NSEQUENDI
ROQUE JURE
LEGIA, &c.

ni subjicit.

EBHAN,
NCUS.

ATI,
WELPERI,
XXVII.

